



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. XIII. An idem locus Scripturæ sub eadem litera plures habeat
sensus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Cap. 5. Ec-
cles. Hierar.
part. 1.

diuiditur. Sicut enim dicit Apostolus ad Heb. 7. Lex vetus figura est nouæ legis, & ipsa noua lex, vt dicit Dionys. in Eccl. Hierar. est figura futuræ gloriæ. In noua etiam lege ea, quæ in capite sunt gesta, sunt signa eorum, quæ nos agere debemus. Secundum ergo quod ea, quæ sunt veteris legis, significant ea, quæ sunt nouæ legis, est sensus allegoricus: secundum vero quod ea quæ in Christo sunt facta, vel in his, quæ Christum significant, sunt signa eorum, quæ nos agere debemus, est sensus moralis: prout vero significant ea, quæ sunt in æterna gloria, est sensus anagogicus. Quia vero sensus literalis est, quem auctor intendit: auctor autem sacræ Scripturæ Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit: non est inconueniens, vt dicit August. 12. confess. si etiam secundum literalem sensum in vna litera Scripturæ plures sint sensus.

Elicitur ex
cap. 18. 19.
20. 24. 25.
31. tom. 1.
in cor. 17.

Ad primum ergo dicendum, quod multiplicitas horum sensuum non facit æquiuocationem, aut aliam speciem multiplicitatis: quia sicut iam dictum est, sensus isti non multiplicantur propter hoc, quod vna vox multa significet, sed quia ipsa res significata per voces, aliarum rerum possunt esse signa. Et ita etiam nulla confusio sequitur in sacra Scriptura, cum omnes sensus fundentur super vnum, scilicet literalem, ex quo solo potest trahi argumentum: non autem ex his, quæ secundum allegoriā dicuntur, vt dicit August. in epist. contra Vincentium Donatistam. Non tamen ex hoc aliquid deperit sacræ Scripturæ, quia nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per literalem sensum alicubi manifeste non tradat.

Locus dicto
in argum.

Ad secundum dicendum, quod illa tria, historia, ætiologia, analogia, ad vnum literalem sensum pertinet: nam historia est, vt ipse August. exponit, cum simpliciter aliquid proponitur: ætiologia vero, cum causa dicti assignatur: sicut cum Dominus assignauit causam, quare Moyses permisit licentiam repudiandi uxores, scilicet propter duritiam cordis ipsorum, Matth. 19. Analogia vero est, cum veritas vnius Scripturæ ostenditur veritati alterius non repugnare. Sola autem allegoria inter illa quatuor pro tribus spiritualibus sensibus ponitur, sicut & Hugo de S. Vict. sub sensu allegorico etiam analogicum, comprehendit, ponens in tertio suarum Sententiarum solum tres sensus, scilicet historicum, allegoricum, & tropologicum.

In Procl. 1.
de S. Vict. 1. 4

Ad tertium dicendum, quod sensus parabolici sub literali continentur: nam per

voces significatur aliquid proprie & aliquid figuratiue: nec est literalis sensus ipsa figura: sed id quod est figuratum. Non enim cum Scriptura nominat Dei brachium, est literalis sensus, quod in Deo sit membrum huiusmodi corporale: sed id, quod per hoc membrum significatur, scilicet virtus operatiua, in quo patet, quod sensui literali sacræ Scripturæ nunquam potest subesse falsum.

Summa Articuli.

EX corpore articuli duæ eliciuntur conclusiones. Prior est: *Sub eadem litera plures esse possunt sensus*. Posterior est: *Sub eadem litera plures contineri possunt sensus literales*. Prior absolute, & vniuersæ de quouis sensu intelligenda est: quam probat S. Doctor ex eo, quod sub eadem litera interdum alius est sensus historicus, seu literalis; alius spiritualis, seu mysticus: in posteriori vero conclusione de sensu historico, seu literali tantum secundo est. Veritas tamen huius doctrinæ nonnullis disputationibus amplius dilucidanda, & examinanda est.

DISPUTATIO XIII.

An idem locus Scripturæ sub eadem litera plures habeat sensus.

Hereticorum error. cap. 1.
Veritas Catholica. cap. 2.

CAP. I.

Hereticorum error.

Parsens controuersia circa materiam prioris conclusionis de sensibus scripturæ in vniuersum esse debet, circa quam nonnulli fuerunt errores. Mitto autem Phanaticos quosdam nostri temporis hereticos, qui omne studium sacrarum literarum, siue ad literalem, siue ad mysticum, & spirituale sensum eliciendum, improbarunt. Vnus fuit Ocho Brunfelsius teste Cochleio lib. de scrip. auct. cap. 3. & 4. Alter fuit Gaspar Suencfeldius, vt refert Palladius de hereticis huius temporis, & Federicus lib. de concordia Lutheranorum: horum enim error sufficiens confutabitur 2. 2. q. 1. art. 10. in disputationibus de Scriptura, vbi illius auctoritatem fusius conformabimus. Ex ipsa autem scriptura eos convincere non poterimus, quod rem omnino cabalisticam & humanum figmentum esse putent eius interpretationi incumbere. Nunc vero auctoritate ipsius supposita, de modo eam interpretandi agendum est, vt inde scire possimus argumenta Theologica depromere. In qua etiam re à multis erratum est.

Error dictum
Scripturam esse
humanum
figmentum.
1.

Ocho Brū-
felius.
Cochleus.
Gaspar
Suencfel-
dius.
Palladius.
Federicus.

Primum quidem Porphyrius, vt refert Eusebius lib. 3. hist. c. 17. multiplices, & variæ scripturæ interpretationes impudenter irridebat, de quibus lib. 3. aduersus Christianos inquit: *Adherent (scilicet Christiani) ineptis Iudaicarum scripturarum, in quibus cum absoluto, vel explanatio nulla sit, ad quasdam senarrationes inæquas conuertunt, quæ non tam*

Error Por-
phyrij.
Euseb.

explanaciones sint in ijs, quæ obscuriora sunt, quæ laudem plausumque differentibus conferant. Nam ea, quæ Moyses agrestis, & simplici sermone conscripsit, diuinitus sancta, & figuræ, atque anigmatis obiecta confirmant, atque ingentibus repleta mysterijs inflati mente, ac tumidi, obturbato in semetipsis rationis humana iudicio, sacramenta putant, in quibus imperitus, & agrestis scriptor explicare se non valet. Hæc Porphyrius. Paucis vero interiectis affirmat, huius rei auctorem extitisse Origenem, quem se restatur, cum esset paruulus, cognouisse.

Hoc eodem blasphemæ spiritu deinde adductus Erasmus in epist. ad Imperatorem, quam præfixit libro suo Paraphrasum, ait: Veteris Ecclesiæ Doctores in allegorijs explicandis partim variant, partim sic agunt, ut mihi ludere videantur. Demum Lutherus Erasmi proles de Dionysio Areopagita ita scribit: Ludis in allegorijs, quod est otiosorum hominum studium. Quibus fauere videtur Abulenſis q. 57. in 2. cap. Matth. ubi asserit, nullum mysticum sensum esse secundum mentem Spiritus sancti, sed omnes esse fictiones concionatorum. Idem docuit quæst. 28. in cap. 13. Matth. & Postilla marginalis in ipsum Abulenſ. quæst. 74. in 6. cap. Iosue.

CAPVT II.

Veritas Catholica.

Ceterum, quam impudenter mentitus sit Porphyrius, id satis demonstrat quod Philon Iudeus in libro de vita Theoretica narrat. Scribit enim hoc genus mysticæ interpretationis apud Hebræos viros religionis, & sanctitate in populo enim ab aurora diluculi vsque ad vespertum integros dies ponere consueuerunt in lectione sacrarum Scripturarum, quas ad allegoricos, & mysticos sensus applicare studebant. Imo vero ipse Christus, & eius Apostoli, ut disp. 15. patebit, hoc genere interpretationis sæpentinero vsi sunt. Idem etiam Philon, ut refert Euseb. in 2. lib. historiæ c. 17. laudans Christianos illius temporis in eo lib. de vita Theoretica, inquit in hæc verba: Tractatus autem sacrarum voluminum huiusmodi habent, ut magis allegorice opinionibus vrantur, quoniam quidem omnis lex viris istis videtur animali esse similis, quod corpus quidem habeat ipsam literam, & ea, quæ secundum literam designantur: animam vero occultum in litera spiritalem, & inuisibilem sensum, quem illi ab auctoribus suis edocti sublimius, & nobilitius velut inspicientes per speculum contemplantur. Est ergo antiquior consuetudo, quam Porphyrius putauit, & in magno pretio, & honore hoc genus interpretationis habendum, quod eo non modo veteres Patres, Scriptores sacri, atque Apostoli, sed etiam Christus ipse vsus fuerit, ut disput. 15. videbimus: ex quo etiam Erasmi, & Lutheri impudentia apparebit.

Consentiant igitur Catholici, quos paulo post allegabimus, sacras Scripturas non solum historice, seu literaliter, sed mysticæ etiam, seu spiritualiter explicari posse: id quod testimonio Philonis proxime allato, & Iosephi lib. 3. antiquit. cap. 11. optime confirmatur. Docet enim plura mysticæ significata in vestibus sacerdotalibus olim fuisse, quæ postquam singulatim explicauit, subiungit in fine cap. Hæc declarata sufficiant, cum sæpius, & in multis vixus legislatoris opportune possit exponi.

Ex patribus vero hanc sententiam nobis tradiderunt Origenes lib. 10. in c. 15. epistolæ ad Rom. & lib. 4. Periarchon cap. 2. & homil. 2. & 7. in Genesim, & 11. in Numeros. Hieronymus in magnis commentarijs epistolæ ad Galatas 4. in id, quod Paulus adducit, de duobus filijs Abraham, & lib. de paschate, & in Epist. ad Hedibiam, quæ est 150. quæst. 12. Augustinus multis in locis in Imperfecto de Genesi cap. 2. primo de Genesi ad literam cap. 1. de vera religione cap. 50. epist. 49. ad quæstionem vltimam 15. de ciuit. cap. 27. lib. 17. cap. 3. de vtilitate credendi cap. 3. de doctrina Christiana 17. Gregorius in præfatione Moralium cap. 7. & 4. & 22. lib. cap. 22. Cyrillus lib. 1. in Leuit. in principio, & lib. 5. ante medium, Ambrosius sermone 14. & in Psalm. 108. in primum versum & 2. lib. in Lucam in illud cap. 3. Qui fuit Phares: & lib. 5. in Lucam in illud cap. 6. Respondens Iesus: dum explicat id, quod fecit Achimelech, & factum Centurionis, quod habetur c. 7. & in illud, Nantiauerunt Iohanni & lib. 6. in illud cap. 6. Et respondens Iesus, ubi agit de effusione vnguenti, Eucherius lib. de formulis spiritualibus in principio, Beda in principio Genesim, Bernard. serm. 61. ex paruis, Hugo de S. Victore lib. 6. eruditionis didascalicæ cap. 3. & 4.

Ex Scholasticis autem Theologis plurimi hoc ipsum docuerunt S. Thomas, & Caietanus in hoc art. Nicolaus de Lyra in Prologo 2. & 3. in Postillam Bibliorum, Paulus Burgen in editione ad vtrumque Prologum, Alphonsus de Castro lib. 1. aduersus hæreses c. 3. Driedo lib. 2. de sacra Scriptura c. 2. Catherinus in opusculis de Clauibus Scripturæ cap. de varijs sensibus, Sixtus Senens. lib. 3. Bibliot. sanctæ à principio, Pagninus in Hagoge c. 18. & sequentibus. Adamus in Prologo in Ialam, Michael Medina lib. 6. de recta in Deum fide cap. 25. ubi ex Petro Galatino refert apud Hebræos ita in pretio fuisse sensum mysticum, ut lingua ipsorum diceretur ab antiquis דבר גלוי Dabbar galol, hoc est verbum grande: sensum vero literalem appellarent דבר קטן Dabbar Caton, hoc est verbum paruum. Indubitatum igitur esse debet, in eodem loco Scripturæ, non tantum literalem, & primarium, sed mysticum etiam, & secundarium sensum aliquando contineri. Multa vero testimonia in nouo testamento à Christo, & Apostolis in mystico sensu vsurpata fuisse ex ijs, quæ dicemus duabus disputat. sequentibus manifestum erit.

Verum cum dicimus sub eadem litera mysticum etiam sensum delitecere, non intelligimus eum, quem quisque arbitrato suo elicere potest, & per similitudinem quandam, quæ ab accommodatione parum distat, à concionatoribus non inutiliter ad populum vsurpari solet: qua sola ratione Abulenſis q. 18. in c. 13. Matthæi, immerito putauit præter literalem mysticum etiam sensum sub eadem litera esse posse, sed dicimus præter literalem sensum, mysticum etiam ex intentione Spiritus sancti, qui est præcipuus auctor Scripturæ, sub eadem litera aliquando latere: cumque talis sensus ab Spiritu sancto sit, recte de illo dici potest impletum esse, aut prophetatum, ut sequenti disputatione patebit.

Doctrina hæc non obscure colligitur ex Patribus, & Doctoribus allegatis, atque sequentibus deabus disputat. exemplis illustrabitur: ubi etiam ostend-

4. Origenes.

Hieronymus.

Augustinus.

Gregorius.

Cyrillus.

Ambrosius.

Eucherius.

Beda.

Bernardus.

Hugo.

S. Thomas.

Caietanus.

Lyra.

5. Burgenſis.

Castro.

Driedo.

Catherinus.

Sixtus Senens.

Pagninus.

Adam.

Mich. Medina.

6. Abulenſis.

impugnatur.

ostendimus, proprium esse Scripturæ, vtrumque sensum literalem scilicet, & mysticum continere. Quod si sententia Abulenſis vera eſſet, in eo, quod dixit sensum mysticum non esse ab Spiritu sancto, proprium non eſſet Scripturæ talem sensum continere: eſſet enim solum accommodatio quedam, quæ cuilibet Scripturæ conuenire poteſt. Idcirco Abulenſem pro hac ſententia non allegauimus, etiamſi ipſe mysticum sensum concedat: hunc enim non putat eſſe ex intentione Spiritus sancti, vt nos contendimus. Et hæcenus contra primum errorem hæreticorum pugnatum eſt.

Error literarum definitionem. Sebastianus, Frankius.

Auguſtin.

Tertium error.

7.

Errant ſecundo, qui ita ſenſum ſpiritualem ſequuntur, vt literam omnino deſerant, inter quos videtur Sebastianus Frankius in præſatione ſua de Paradoxiſ, dum aſſumat, literam gladium eſſe Antichriſti, quo Sancti interficiendi ſunt. His vero non ſunt omnino diſſimiles, qui in allegorijs, & ſenſu mystico eruyendo, omiſſa proſus litera, nimium ſtudij poſuerunt, qualem ex Iudaïs fuiſſe Philonem alias ſapientiſſimum teſtatur Auguſt. lib. 12. contra Fauſtum cap. 39. qui quoniam Chriſtum non habebat, in quem referret, quæ diceret, oſtium non inuenit, & varijs eſt actus erroribus, vt inquit Auguſt.

Tertio denique peccant qui vtrumque ſcripturæ ſenſum libenter ſuſcipiunt; in literali tamen nec propriam vocum ſignificationem, vbi tropo opus non eſt, iuxta ea, quæ ſuperiori art. dicebamus, nec contextum ſcripturæ attente conſiderant: aut communem, & vulgata editione relictâ ad Græcâ, & Hebraicâ ſe conferunt: vel denique qui in fidei dogmatibus parum inſtructi, ad eum ſenſum ſcripturam detorquent, qui hæreticis fauet: id quod S. Paulum explanantibus non raro euenire ſolet: aut qui ſpiritualem ſenſum ante literalem, aut ſpiritualem ex omnibus locis ſcripturæ cum in multis non reperiatur, vt diſput. 16. dicemus, eruerent conantur.

Quæ dicitur hic sit hoc erroris vitia.

Recte igitur Nazian. oratione 2. in Paſcha, quæ eſt 42. reprehendit eos, qui nullum alium præter literalem ſenſum admittunt: & eos, qui in erando ſpiritualem nimij ſunt, ſcribens hoc modo. Nos tamen media quadam via inter eos, qui craſtore omnino ingenio ſunt, & eos, qui nimio contemplationis, & anagogiæ ſtudio ducuntur, incedentes, vt nec prius inertes, ac torpidi maneamus, nec rursus curioſiores ſcimus quam par ſit, atque à propoſito argumento excidamus, & euagemur, (alterum enim Iudaicum quodammodo, & abſtractum, alterum ineptum ac ſomniorum coniectore dignum eſt, præterque vtrumque reprehensionem meretur) ad hunc modum de his rebus non nimis abſurde, nec ridicule diſſeremus. Explicat deinde myſteria, quæ in eſu agni paſchalis continebantur. Idem habet Nicetas commentator ipſius in ea verba.

Recta ergo via in eſet, qui hos omnes ſcopulos vitare cutabit, & primum literalem ſenſum, atq; vbi commodè fieri poſſit, ſpiritualem eliciet, ea tamen moderatione, vt non quemlibet ſpiritualem putet ab Spiritu ſancto intentum fuiſſe: ſed eum, qui vel à ſacro Scriptore, vel cõmuni Patrum ſententia fuerit probatus. Iam ergo ad ſingulos modos tractandi, ſeu explicandi ſcripturam, gradum faciamus. Eſt autem in vniuerſum triplex viſus illius. Primus iuxta ſenſum literalem, quem alij historicum vocant. Secundus iuxta ſenſum mysticum, qui & allegoricus, & ſpirituſ dicitur. Tertius denique per accommodatiõem, & vñ

duos priores inferius elucidandos relinquamus, quod ad noſtrum inſtitutum magis pertineant, de tertio ante omnia quid ſit, & an Scriptores ſacri eo etiam vtantur, qualiterque Theologicis argumentis prodeſſe poſſit, non nihil diſſeramus.

DISPUTATIO XIV.

An Scriptores Canonici, ſicut etiam Patres, vñ fuerint ſacra Scriptura per accommodatiõem.

Non ſolum Patres, ſed Scriptores etiam Eccleſiaſtici vñ ſunt Scriptura per accommodatiõem. cap. 1.
Omnia teſtimonia veteris teſtamenti in ſenſu literalis recitari ab Euangelis tis alij aſſerunt. cap. 2.
Quædam ab Euangelis tis non per accommodatiõem, ſed in ſenſu mystico recitari, verior ſententia eſt. c. 3.
Quædam per accommodatiõem, quæ ad literalem multum accedit, ab Euangelis tis allegari. cap. 4.
Variis ſenſus Scripturæ per accommodatiõem. cap. 5.
Quomodo ſcriptura per accommodatiõem vtilis ſit ad arguendum. cap. 6.

CAP. I.

Non ſolum Patres, ſed Scriptores etiam Eccleſiaſtici vñ ſunt Scriptura per accommodatiõem.

Vſus ſcripturæ ſacræ per accommodatiõem nihil aliud eſt, quam verba aliqua ipſius per extenſionem quandam ad eam rem applicare, quam nec ſacer Scriptori intellexit, neque illis verbis ſignificare voluit, non ſolum primariæ & hiftorice, ſed neque ſecundariæ, & mysticæ: id quod ſeq. diſput. ex definitione ſenſus literalis fiet magis manifeſtum. Nunc vero exemplis hæc definitio poterit illuſtrari. Canit Eccleſia de quouis Pontifice, & Conſiſtore, Inuentus eſt inſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. Quod tamen de Noe dixit Eccleſiaſticus cap. 4. nullum alium eiſdem verbis intelligens. Laudauit enim eo capite viros glorioſos præteriti ſæculi, inter quos numerauit Noe. Viurpat autem Eccleſia ea verba, quæ de illo dicta ſunt: quia id, quod per illa ſignificauit Scriptura de Noe, in quemlibet Pontificem conſeſſorem quoquo modo conueniunt, eſt enim inuentus iuſtus ſuæ vitæ ſanctitate, & orans pro populo, Deum placauit. Sæpe etiam in miſſis B. Virginis, aut Sanctorum, ſimili accommodatiõem Scripturæ Eccleſia vitur.

Nec ſolum Eccleſia in cantu, & officio ſuo. Sed & ſacri etiam Scriptores interdum alterius antiquioris Scripturæ ſacræ verba per ſolam accommodatiõem referunt. Sic Apocal. 11. de duobus illis viris quos tempore Antichriſti prophetaturos per dies 1260. prædixit Ioannes, inquit: Hi ſunt duo oliuæ, & duo candelabra in conſpectu Domini ſtantes. Quæ verba parum mutata, de Ieſu ſacerdote filio Iofedech, & de Zorobabel duce Iuda antea dixiſſe Zachariam cap. 4. multi, grauesque Doctores exiſtimarunt: duos autem, de quibus Ioannes prædixit, eſſe Enoch, & Eliam, tradiderunt Ambroſius, Gregorius, Proſper, & Ricardus. Et ſane quacuq; ratione velimus Zachariæ, & Ioannis ſenſum inueſtigare, dubium non eſt, de diuerſis eadem verba viurpalle, ac proinde accommodatiõem aliquam ibi ſubefſe neceſſe eſt. Eadem verba accommodat Eccleſia in quadâ antiphona ad

Eccleſ. 44.

Apocal. 11.

Ambrosius, Gregorius, Proſper, Ricardus.